

Velis cordis vinculo fortiter vnire.  
O iesu dulcissime cibus salutaris.  
Qui sic nobis intime tribui dignaris:  
Mala nostra deprime fletibus amoris  
Et affectus imprime quibus delectaris  
Jesu viuens hostia placa maiestatem.  
Sacramenti gratia confer sanitatem  
Pauperum substantia da eternitatem.  
Domini memoria foue caritatem.  
Vanitatem spernere fac nos consolator  
Hostes dona vincere chrisite propugnator  
Et quod doces: crede iesu reparator  
Per te tandem cernere da remunerator: Amen.

Oratio dicenda ante missam.

Deus qui de indignis dignos: de peccatoribus iustos: de  
immundis mundos: facis. munda cor et corpus meum ab  
omni cogitatione et sorde peccati. et fac me dignum altaribus  
tuis ministrum/et concede propicius. ut in hoc altari ad quod  
indignus accedo hostias acceptabiles offeram pietati tue pro pec-  
catis et offensionibus meis: et innumeris quotidianisque ex-  
cessibus. et pro omnibus hinc circumstantibus: vniuersisque michi fami-  
liaritate et affinitate coniunctis: atque me odio aliquo infectatis  
et aduersantibus: cunctisque fidelibus christianis viuuis et  
mortuis. et per eum sit tibi meum votum atque sacrificium accepta-  
bile. qui se tibi deo patri obtulit in sacrificium. iesus christus  
filius tuus dominus noster. Qui tecum viuuit et regnat.

Oratio dicenda post missam.

Omnipotens sempiternus deus iesu chrisite domine. esto propi-  
cius peccatis meis: pro assumptione corporis et sanguinis  
tui. Tu enim loquens dixisti. Qui manducat meam carnem et  
bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo. ideo te supplex  
deprecor: ut in me cor mundum crees: et spiritum rectum in visceribus  
meis inuoues. et spiritu principali me confirmare digneris  
atque ab omnibus insidiis diaboli: ac vitis emundes: ut gaudium  
celestium merear esse particeps. Qui viuuis et reg: